

inexistentes, sed forti & conditioni humanæ: *vid. Hug. Grot. d. j. B. & P. l. 2. c. 19. §. 2.) debentur, quæ honestè & sine vituperio negari nemini possunt: jam autem sepulturam esse tale beneficium, expressis verbis innuit Modestinus in l. 27. ff. d. condit. instit. eum, inquit qui reliquias testatoris sepulture tradit,*
 6 *memoriâ humanæ conditionis id facere. Imò quemadmodum sepeliendi officium à variis Autoribus supra in proem. n. 9. & seq. à nobis recensitis, humanitatis nomine indigitatur, ita eadem nil aliud, quàm hominum naturam humanamque conditionem significari in proem. n. 13. satis prolixè est demonstratum. Est & aliud juris Nat. præceptum, ex quò sepulturam deberi, inferri potest, idque Salvator noster in Evangelio sic effert: Omnia quaecumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Matth. 7. 12. Luc. 6. 31. hoc præceptum tam universale vocat Guil. Grot. c. l. §. 6. ut omnia ferè hominum officia indè definiri valeant. Jam autem neminem rectæ rationis usu præditum fore puto, qui non potius honestam post obitum sibi sepulturam optet, quàm ut cadaver ejus bestiis & canibus laniatus fiat, quod si sibi hoc fieri vellet, id etiam de aliis sui similibus vi hujus præcepti statuatur, ut de se esset statuturus. Sed observandum hoc locò, edoctus ita quondam cum hinc Fena viverem, à Plur. Reverendò Dn. Georg. Gæziò. SS. Theol. Lic. & tum temporis Moralium P.P. famigeratissimo in prælect. publ. ad d. Grotii locum, hoc præceptum non absolutè de quòvis appetitu sive voluntate, sed de appetitu rectæ rationis præscripto conformato accipiendum esse: siquidem hoc præceptum modus & mensura est eorum beneficiorum, ad quæ homo naturalis cognationis gratia de jure Nat. homini obligatus est. vid. Grot. d. §. 6. Hinc si quis appetitu corruptò laborans sibi nullam sepulturam fieri velit, quod de Anaxagorâ aliisque in Proemio n. 19. tradidimus, atque indè alteri quoque nullam faciendam esse arbitretur; aut si velit nimis sumtuoso & magnifico*

fico